

Hic locus suppeditare solet oratoribus et poëtis, saepe etiam philosophis, sed iis, qui ornate et copiose loqui possunt, mirabilem copiam dicendi, quum denunciant, quid ex quaque re sit futurum. Causarum enim cognitio, cognitionem eventorum facit.

Senec. Epist. 65. Nro. 3 — 15. Triplex causa est. Dicunt, ut scis, Stoici nostri, duo esse in rerum natura, ex quibus omnia fiant: causam et materiam. Materia jacet iners, res ad omnia parata, cessatura, si nemo moveat. Causa autem, id est, Ratio, materiam format, et quocumque vult versat: ex illa varia opera producit. Esse debet ergo unde aliquid fiat, deinde a quo fiat: hoc causa est, illud materia. Omnis ars imitatio est naturae. Statua et materiam habuit, quae pateretur artificium; et artificem, qui materiae daret faciem. Ergo in statua materia aes fuit, causa artifex. Eadem conditio rerum omnium est: ex eo constant quod fit, et ex eo, quod facit. Stoicis placet unam causam esse, id quod facit. Causam Aristoteles putat tribus modis dici. Prima, inquit, causa est ipsa materia, sine qua nihil potest effici. Secunda opifex. Tertia forma, quae unicuique operi imponitur, tamquam statuae: nam hanc Aristoteles Idos vocat. Quarta quoque, inquit, his accedit, propositum totius operis. Quid sit hoc, aperiā. Aes prima statuae causa est; nunquam enim facta esset, nisi fuisset id, ex quo ea funderetur, ducereturve. Secunda causa artifex est; non potuisset enim aes illud in habitum statuae figurari, nisi accessissent peritae manus. Tertia causa est forma; neque enim statua ista Doryphoros aut Diadumenos vocaretur, nisi haec illi esset impressa facies. Quarta causa est faciendi propositum; nam nisi hoc fuisset, facta non esset. Quid est propositum? quod invitavit artificem, quod ille secutus fecit. Vel pecunia est hoc, si venditurus fabricavit: vel gloria, si laboravit in nomen: vel religio, si donum templo paravit. Ergo et haec causa est, propter quam fit. An non putas inter causas facti operis nume-